



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historiae Ecclesiasticae Pars ...**

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici  
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Iuliani imperio. Cap. I.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12704**

# THEODORITI EPISCOPI CYRI ECCLE- SIASTICAE HISTORIAE

Liber Tertius.

*De Juliani imperio.* CAP. I.

**C**onstantinus quidem, quoniam à fide paterna deflexerat, tristitia & mærore oppressus, abiit è vita. Julianus autem ex Europa traiciés in Asiam, certior de morte Constantini factus est: & propterea fideti animo, ut potest qui nullū iā haberet aduersariū, imperium capessit.

*Quòd à puero in pietate educatus, postea in impietatem deuenit.* CAP. II.

**I**ste Julianus, cum adhuc tenera esset ætate, necdum ex pueris excessisset, lac succit piæ synceræque doctrinæ.

Quinetiā cum pubesceret, & ipsam attingeret adolescētiā, eandē doctrinam tenuit. Nam veritus Constantiū, qui dum extimesceret tyrannidē, cognatos è medio sustulerat, in lectorum numerum ascriptus est, & sacros libros in Ecclesiasticis conuentibus perlegit. Sacram item ædē Martyrum cōstruxit ille quidē, sed martyres eā non æqui boniq; cōsuluerunt, propterea quòd præuiderant illū à vero dei cultu ad impietatē deflexurum. Nā fundamentis eius ad si militudinem inconstantis & leuis mentis Juliani agitatis, ædes prius, quām consecraretur, disiecta corruit. Itaq; hic primæ & secundæ ætatis Juliani modus fuit.

*Quomodo primum impietatem suppressū, eam postea patefecerit.* CAP. III.

**P**oste verò quām Constantius venit in Occidentem, quo bellum aduersus Magnentium gerendum eum pertraxerat, & Gallum Cæsarem Orientis renuntiauit, qui & vir pius fuit, & ad extremum vitæ diem pietatem excolere non destitut, Julianus metum, qui ei perutilis & necessarius fuerat, eiecit ex animo, & iam armare se audacia, &